





1719.

1. Bastineller, Geth. Christ. Ordin. Felorum . . . Decanus :
l. b. s. p. J. (ad Disputationem solennem Johannis
Gottfriedi Vogelii innotat)
34² 36
2. Bastineller, Geth. Christ. De medico ex voluntate
aegroti perperam curante . 3 Exempl.
3. Bergerus, Christ. Henricus : Lectorum benevolentiam
ad orationem, quae professionem institutionum
juris civilis . . . auspiciatibus . . . innotat
4. Berger, Christ. Henricus : De praescriptione
scripturarum . 2 Exempl.
5. Bergerus, Fr. Gottfriedus : Rector academiae Witten-
bergensis . . . civis academici ad Dyque et
Lobornium natalium domini nostri Festi Christi . . .
innotat.
6. Bohn, Joh. Gottlieb : Simulationem religionis
ipso jure naturae illicitam . . . exhibent.
7. Haffmann, Christianus : De cessionibus jurisdictionis

et extrajudicialibus eorumque differentia

2. Sampl.

Keffner siehe nr. 10 b

9. Loescher, Mart. Gott. : Animum creatis sebes

alio falso et vero adscriptum homini eminenter
competere . . . defendit.

10. Loescher, Mart. Gott. : Dissertatio . . . de mundi,
opinionibus et sententiis exhibens.

11. Mencken, Gottf. Ludw. : De variis fendorum
divinationibus.

12. Mencken, Gottf. Ludw. : De renovatione
investiturae et vinculo obligationis, quo
seu unus et vas illius invicem obstringan-
tur.

13^{te} Menckenius, Gottf. Ludw. : Jansam de
jura principis evangelici circa divortia
doctrinam . . . proponit 2. Sampl.

14^{a 26}
2 Menckenus, Goff. Ludov. : De recognitione ambrosii
veronensis ex tunc et ex nunc. (supra et infra).
2 Exempl.

15. Reimarus, Hermann Samuel : Dissertationis scholae
matis de Machiavelismo ante Auctores
praecipuos.

16 Spener, Jacob. Carol. : Institutio gentium publice
habetur de ceterisque quae actioni semper habi-
turus est praesertim --- insit et commendat

17. Spener, Jacobus Carolus : publicae in Th. Cucciji
hypomenetae juris feudalis dissertationes
insit et commendat

18. Spener, Jacob. Carolus : De tacita remissione
feloniae.

19. Wember, Jo. Balthasar. Ordinis jurisdicti. ---
Secanus : Ceteri benivolus d. p. d. et d. p. d.
Liberum volumine Caroli Frederici Michaelis

invitas)

26. Wender, Fr. Balthasar, Ordeum juridici . . .

Decanus: lecturi benevole s. p. d. (ut dispu-

lationem solennem Fr. Hassii Brunsvici

invitat.

27. Wender, Fr. Balthasar: De cerebrinis certitu-

dine corporis selecti.

1719

161

ORDINIS ICTORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
GEBH. CHRISTIANVS
BASTINELLERVS
D. ET DIGESTI VETERIS PROF. PVBL.
CVRIAE ITEM ELECTORALIS PROVINC.
AC SCABINATVS ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO
S. P. D.

*de necessaria corporis delicti investiga-
tione.*



ORDINIS LECTORVM
IN
ACADEMIA VITTEMBERGENSI
DECANVS
GEBH. CHRISTIANVS
BASTINELLERVS
P. ET DIGESTI VETERIS PROF. PUBL.
CUM IURE LECTORIS PROVINC.
AG. SCALINAVS ANSSOR
LECTORI BINNEVOLI





Non desunt, qui *Corporis Delicti* significationem satis inconuenientem, & a communi uerborum usu alienam, existimant, grauius indignantes, a tam barbaro loquendi more non abhorruisse iuris peritos, quippe qui hac ratione praeter necessitatem multas omnino, quae ex accipiti eius notione oriuntur, excitauerint difficultates. At enim uero uerba, quae rerum quidem notae sunt & indices, nummorum instar ualere, illisque non modo ex proprietate, sed ex usu etiam, significandi uim tribui, immo usum, ut Horatius eleganter exprimit: *quem penes arbitrium est, & uis & norma loquendi*: legem praescribere proprietati, inter omnes abunde constat. Quapropter

propter effectum est, ut paulo obscura *Corporis Delicti* dicendi formula ex scholis ueterum, quibus magis res ipsa, quam uerborum indoles, curae cordique uidetur fuisse, ad aetatis nostrae tempora fuerit translata, eamque nunc omnes, qui uel exigua iuris scientia imbuti sunt, cognitam habeant ac perspectam. Siue autem *Corpus Delicti* pro corpore, quod nocuit & deliquit, siue illud pro corpore, cui damnum est datum, siue tandem hoc pro ipsius turpis facti ueritate, accipiamus, inueteratum utique & constantissimum boni aequique praeceptum est, de eo omni ex parte iudici, in quauis criminali, maxime atroci, & ultimo expianda supplicio, causa uersanti, constare, fidemque ante omnia necessario fieri, debere, hac mente, ut recte uindictetur crimen, neque innocens opprimatur, & iudex, homicidam quaerendo, ipse fiat homicida, neque nocens dimitatur. Nam sicuti, nisi pernotuit res, quae acta est, haec disceptari, deque ea definiens ferri sententia, nequit, ita ineptum nimis & inconditum foret, prius quaestionem de iure ad factum accommodando mouere, quam de facto quodam existente, cui ius accommodandum est, eiusque conditione, simus redditi

redditi certiores. Paucis hoc innuit Alfe-
nius Jctus l. 52. §. 2. π. ad L. Aquil. ubi, *ius
in causa positum esse*, respondet. Atque hac
de re plenius disserit Aristoteles, Philoso-
phorum facile princeps, cuius uerba, cum
argumentum nostrum apprime illustrent,
hoc loco commemorare, operae pretium
uidetur. Nimirum *Rhetor. L. I. c. I.* pru-
denter admodum exponit, *eius, qui contro-
uersatur, nihil esse, nisi ut demonstret, rem es-
se, uel non esse, uel factam, uel non factam, es-
se; at uero, utrum magna, an parua, sit,
utrum iusta, an iniusta, quaecunque legislator
non distinxit, ipsum nempe iudicem cognoscere,
ac iudicare, oportere, & non discere a contro-
uersantibus.* Animaduertentis etiam iudicis
officii est, non tam accusatoris uice fungi,
quam defensoris partes explere, ne sangui-
ne infontis manus polluat suas, reique cri-
minis ex sola sua confessione, excusationum
& iuris beneficiorum, quibus adiuuantur, a-
liquando ignari, ad poenas rapiantur impru-
denter. Saepe enim, quod prima facie tur-
piter & scelere factum oculis subiicitur, omni-
bus iis, quae rem circumstant, diligenter ex-
cussis, & animo menteque probe expensis, in
iustum, uel saltem non iniquum, aut in id, quod
indiffe-

indifferens est, abire solet factum. Et aliter
sane delictum, quod inchoatum, aliter, quod
consummatum, aliter illud, cui dolus causam
dedit, aliter, quod culpa euenit, aliterque,
quod casu contigit, coercendum est. Hinc,
quamuis, effractorum & expilatorum audacia
in dies crescente, neque eos, qui ad articulos
inquisitionales solemniter interrogentur &
respondeant, neque defendantur ex institu-
to, dignos aestimare, Potentissimo nostro
Legislatori in recens edito Mandato wegen
geschwinder Exequirung derer Räuber und
Diebe utile & consultum uisum, tamen in-
fertishisce, sapientissimo & aequissimo Prin-
cipe dignis, uerbis : Dahingegen die bey
der Verhör etwa mit allegirende Einwend-
und Entschuldigungen treulich ad Acta zu
schreiben: istis nihilo minus reapse prouisum
est & prospectum, ne indefensi prorsus relin-
quantur. Placet & haec Aristotelis doctrina
uberius declarare, quod nec beneuolo Lectori
ingratum fore confidimus. Is autem *Rhetor.*
ad Alex. Reg. c. 5. perspicue tradit, *defendendi*
species tribus constare praeceptis : Aut enim
defensori ostendendum esse, nihil eorum, quorum
accusatur reus, patrauisse : Aut, si cogatur
fateri,

fateri, enitendum esse, ut gestum a se negotium,
& legitimum, & iustum, & honestum, & publicae
utilitati usui, esse, ostendat. Si hoc autem osten-
dere nequiverit, aut in imprudentiam, aut in
fortunam, gesta negotia conferens, & iacturas,
ab his profectas, quam minimas ostendens, ut si-
bi ignoscatur, operam dabit. Sedem huic ma-
teriae propriam in Corpore Iuris Ciuilis, quod
uocant, haud dubie collocat lex i. C. *Vbi caus.*
fisc. Non defensae mortis quaestionem apud
procuratores nostros non oportere tractari, nec
bona a fisco peti posse prius, quam de crimine
constiterit apud eum, cui conuictis poenam ir-
rogare licet, quis ignorat? Plane defunctis
homicidii reis, apud procuratorem quoque cau-
sam agendam esse, ratio permittit. & lex i. §. 24.
π. de *SCto Silan.* Item illud sciendum est, nisi
constet, aliquem esse occisum, non haberi de fa-
milia quaestionem. add. l. 5. §. 2. eod. l. 23. §. *fin.*
π. ad L. *Aquil.* l. 1. §. 17. & *fin.* π. de *Quaest.* Qua-
rum legum unam ex altera explicare, neutri
prios deferre partes, satius est, praesertim,
cum Ulpianus *ICTus* l. 1. §. 25. π. de *SCto Silan.*
per quaestionem non tormenta tantum, sed
omnem inquisitionem, & mortis defensionem,
intelligat. Sacri similiter conspirant *Pande-*
ctae Genes. 18. v. 20. 21. *Numer.* 35. v. 12. 24.
Deuter.

Deuter. 13. v. 12. 13. 14. sqq. & 17. v. 4. sq. Ios. 7. v. 19. 20. 21. 22. sqq., consentit item ius Canonicum *cap. 19. & 24. X. de Accusat.* & primam ac praecipuam Corporis Delicti in iudicio criminali habendam esse rationem, disertè cautum legitur & sancitum Ordinatione Criminali Carolina *art. 6. 54. 55. & 161.* ad stipulantibus pariter Constitutionibus Prouincialibus, ut uideri licet e Diuorum Principum Electorum Saxoniae *Resol. Grauam. de Anno 1612. Tit. Von Iusticien: Sachen n. 5. & ex Ordin. Proc. Magd. cap. 5. §. 5. add. Ordin. Recogn. §. 3.* Ex quibus locis, ut alia, pluraue, consulto taceam, luculenter simul apparet, de crimine, certe admissio, iudici constare oportere, non modo, ut condemnet, & sententiam exequatur, sed etiam, quo inquisitionem rite instituat, & ad custodiam, atque torturam, peruenire possit, siue illud *ad sensum*, siue *ad intellectum*, ut loqui amant, id est, per testes & euidentiam facti, aut per indicia, praesumptiones & coniecturas, fiat; quamuis non negauerim, ad generalem, quam appellant, inquisitionem probabilem & summariam, ut aiunt, de Corpore Delicti sufficere cognitionem, pleniorero facti, & quae illud circumstant, temporis scilicet, loci, personarum, causae,

causae, aliarumque rationum, notitiam ad in-
quisitionem requiri specialem. Probant
quoque supra laudati textus, capitale inter &
non capitale crimen, quod ad inuestigandum
corpus delicti attinet, nihil discriminis in-
tercedere, sed in utroque perinde, ac in de-
licto *facti permanentis & transeuntis*, signaque
& uestigia, aut nulla, post se relinquentis,
iudici cognoscenti facinoris ueritatem ex-
ploratam esse debere. Notari merentur,
quae hanc in rem in nouissima Ordinatione
Criminali March. Elect. Brandenb. *Cap. III.*
§. 6. 7. 8. proponuntur. Wenn bey einer dem
Gerichte angebrachten Ubelthat beydes/ die
That an sich selbst, und dessen Urheber/ an-
noch ungewiß sind/ soll der Richter zuför-
derst/ um die That / oder das Corpus Delicti,
so viel möglich / zu erforschen / bemühet seyn.
Bey denen Verbrechen / von welchen man/
nachdem sie begangen / durch den Augen-
schein keine Gewißheit hat / welche man fa-
cta transeuntia nennet, als da sind zum
Exempel: Gottes-Lästerung / Hererey / Ehe-
bruch und dergleichen / muß zum wenigsten
)() (durch

durch tüchtige und redliche Anzeige/ daß der-
gleichen verübet worden, es sey durch Zeu-
gen/ Extraiudicial - Bekändtniß des Ver-
dächtigen/ oder sonst/ beygebracht werden/
ehe und bevor nach der Person/ so es be-
gangen/ inquiriret werden mag. Bey of-
fenbahren Verbrechen/ welche/ nachdem sie
verübet sind/ einige Merckmahle nach sich
lassen/ als da sind : Verwundung/ Tod-
schlag/ Ehebruch/ Mord/ Brand/ Ver-
giftung und dergleichen, muß der Richter/
sobald das Gerüchte davon an denselben ge-
langet/ mit dem Gerichte sich zusammen-
thun/ und den Augenschein davon einneh-
men/ nach allen Umständen der That/ wie
und welcher gestalt sich selbige zugetragen/
fleißig sich erkundigen/ und alles unermü-
det zu Protocoll bringen lassen. Denique
non ignoro, nonnullos Doctores ac Inter-
pretes inter delictum, quod *facto aliquo*, &
quod *animo solo* perpetratum est, distingue-
re illos quidem, in posteriori de Corpore
Delicti ex coniecturis affatim constare, cen-
sen-

sentes, at delictum animi, quo haeresin referunt, quamdiu solo continetur animo, neque extrinsecus in turpe factum sese exerit, humani minime fori esse, neque supplicio in hac uita puniendum, uix indigere uidetur probatione. Haec sunt, quae praefaminis loco multas inter occupationes conscribere, mihi in mentem uenerunt. Iam de Nobilissimi Candidati nostri, IOANNIS GODOFREDI VOGELII, natalibus, uita, & studiis, more rituque a maioribus accepto paucis agendum est. Natus est Anno c^{ro} m^o c^o xci. die IX. Cal. Mart. diuino beneficio Dresdae, in augustorum Principum sede, celebritate nominis atque historiarum monumentis incluta, patria, Patre quidem Viro bene merenti & praestantissimo, *Joanne Vogelio*, Cancellis Regiis ab epistolis, Matre, *Joanna Elisabetha, Guilielmi Forchheimii*, artis Musicae, cuius ministerio aula utitur, praefecti olim uicem gerentis, filia, ornatissima matrona, quam uero paucis abhinc annis amisit. Ab his optimis parentibus, postquam nomen in hominum Christo fidorum tabulas esset relatum, summo studio ad capeffendam uirtutem est adductus,

iis potissimum studiis prima eius pueritia
consecrata, quibus summa pietatis honestis-
simique moris ratio, atque futurae tandem
uitae consuetudinis usus, contineretur. Hac
ratione adoleuit sensim, animumque, ductu
dexterrimorum magistrorum, ita excoluit,
ut, tyrocinio domi posito, alias quoque bo-
nae mentis officinas frequentandi consilium
capere posset. Pridem est, ex quo Lusatia
palmam, in arte adolentes optima quauis
ac honestissima disciplina expoliendi, multis
reddit prouinciis dubiam. Hinc eam adiit
Noster, *Lubena*que ac *Budissae* potissimum
dexterrimorum scholae Rectorum opera est
usus, *Schulzii* maxime, bonae indolis censo-
ris, rectique conatus adiutoris quondam so-
lertissimi, lateri adhaerens, seque totum ei
formandum ac fingendum tradens diligen-
ter. Cuius rei neque poenitendos, neque
ulla unquam obliuione delendos, percepit
fructus. Huius enim cura factum esse, lu-
bens praedicat, ut non immaturus ex Gy-
mnasio exiret, sed, industriae laude cumula-
tus, emitteretur tandem, dignusque, qui in
publicam lucem prodiret, haberetur. Quam
ob rem Anno MDCCCX. Viterbergam, fre-
quen-

quentia & cultu ingeniorum maxime floren-
tem, uenit, & in Academiae tabulas relatus,
Superioribus obsequium ac cultum, Docto-
ribus industriam singularem, probauit. Cum-
que uideret, coeco quasi impetu Iuris studi-
um peruagari eos, quos nulla Philosophiae,
earumque artium, quibus aditus ad Them-
idis sacra paratur, expoliuerit cognitio, id
potissimum operam dedit, ut in ipso Aca-
demicorum studiorum limine his se praesi-
diis diligenter muniret. Neque defuit ei
solidae doctrinae doctor, *Martinus Hassen*,
Moral. ac Ciuil. Professor celeberrimus, quo
Praefide, quantum iam ex priuato studio
perceperit fructum, publice demonstrabat,
Dissertationemque eruditam de eo, *An*
Princeps Christianus cum non Christiano ad-
uersus Christianum foedus inire possit, Anno
1711. eruditorum disquisitioni pro-
ponebat. Hoc publico, aliisque priuatis
bene multis disputandi speciminibus editis,
nullos defugit in iuris etiam scientia exant-
landos labores, ad comparanda doctrinae
iuridicae subsidia, scholas illustrium ICto-
rum frequentando, potissimum autem
Viros Magnificos atque Excellentissimos,

*V*Vernherum, Ordinis sui Praesidem grauis-
simum, *D. Beyerum, Gribnerum, Lyserum-*
que, ICTos dexterrimos, constanter sedulo-
que audiendo. Ita quidem non in aditu
constitit Noster, sed in abdita descendit et-
iam, quando ipse nunc uaria eruditionis do-
cumenta dedit, & Ius Naturale, Publicum, ac
Ciuile, scriptis illustrauit, eoque honestissi-
mae, quam de eo conceperant omnes, spei
ex assè satisfecit. Cum uero probe animad-
uerteret, Numen non ideo dedisse sua dona
mortalibus, ut uel iis superbirent, uel frue-
rentur soli, animum ad alios etiam doctrina
imbuendos prudenter applicuit, potestatem-
que ab incluto ICTorum Ordine, ut idem li-
ceret facere, impetrauit, postquam pridie
Non. Februarii Anno *MDCCCXII.* consue-
tum examen subiisset, nulloque contradicen-
te, inter Iuris Candidatos esset receptus. Hic
nihil omisit, quod ad instituendos alios ulla
ratione pertineret, quando iuris libros, tam
elementarios, quam systematicos, priuata in-
dustria interpretatus est. Peraeto ita trium
fere annorum spatio, in patriam redeundi
consilium cepit, & per quadriennium Dresdae
in usu uitae foroque uersatus, negotia gesit
cum

cum laude, causasque orando clientibus con-
fuluit bene. Postea uero quam animaduert-
tisset, summos in utroque iure honores, pri-
uilegia, insigniaque, haud exiguo sibi orna-
mento futura, ista, ut ab Ordine nostro sibi
conferrentur, modeste petiit, examineque,
quod uocant, rigoroso feliciter peracto, &
Titulo *C. ad Leg. Cornel. de Sicariis* in Au-
ditorio Iuridico publice illustrato, dignissimus
omnium suffragiis summis, quos modeste am-
bierat, honoribus est iudicatus. Ut adeo ni-
hil magis super sit, quam ut his eruditionis
speciminibus rite perfunctus, publicum et-
iam suorum in Vtroque Iure profectuum
edat argumentum. Id quod proxime fu-
turo die Jouis, Deo uolente, fiet, quo
Dissertationem Inauguralem *de Cerebrina
Certitudine Corporis Delicti*, Praeside Viro
Magnifico atque Excellentissimo, DN. JO.
BALTHASARE VVERNHERO,
Jcto, *Potentissimo Poloniarum Regi & E-
lectoris Saxoniae a consiliis aulae & iusti-
tiae, Juris item Antecessore primario &
Ordinario &c.* publicae eruditorum disqui-
sitioni est propositurus. Quem actum so-
lemnem

lemnem ut *Illustrissimi Comites, Proceves A-*
cademiae, ac omnium Ordinum Assessores, re-
liquique, qui studiorum causa hic degunt,
ornare praesentia sua, atque illi interesse
ne grauentur, omni obseruantia ac huma-
nitate rogo, atque contendo, simulque fi-
dem facio, fore, ut cum Nobilissimo Dn.
Candidato etiam Ordo noster nihil unquam
eorum, quae ad mutuis officiis atque stu-
diis demerendum hoc humanitatis genus
pertinere queant, sit praetermissurus. P. P.
Vitembergae, Dominica I. Aduentus,
Anno MDCCCXIX.

LITERIS VIDVAE GERDESIANAЕ.

VD 18

ULB Halle


3


000 654 957



TA-OL







1749
101

ORDINIS JCTORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.
DECANVS
GEBH. CHRISTIANVS
BASTINELLERVS

D. ET DIGESTI VETERIS PROF. PVBL.
CVRIAE ITEM ELECTORALIS PROVINC.
AC SCABINATVS ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO
S. P. D.

*de necessaria corporis delicti investiga-
tione.*

